



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

Ioanni Beiræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

mus afflari: nisi forte ob nostra delicta quò
minus rem tantam conficiamus, nos dese-
rat atq; destituat. Nobis D E V S auxilio sem-
per sit ac præsidio. Amen. XII. Kal. Iulias ipso
Christi corpori sacro die. Anni. M.D.XLIX.
Malaca.

Ioanni Beiræ. Epist. II.

IA PONEM petimus Christianæ religio-
nis propagandæ allecti spe, quæ nobis o-
stentatur maxima. Tres omnino eò profici-
scimur, Ego, Cosmus Turrianus, & Ioannes
Ferdinandus, itemq; Iaponij totidem Chri-
stiani egregia probitate, qui in Goano S.
Pauli Collegio baptizati, per mensem in piis
cōmentationibus maximo cum fructu ver-
fati sunt: nunc autem reuertuntur, patrię suę
ad Christi fidem adducendæ studio incensi.
Commodum Iapones legationem ad Lusi-
taniæ Proregem miserunt rogatum sacer-
dotes, à quibus Christianam doceantur reli-
gionem. Imus omnes diuinæ spei, ac fiduciæ
pleni haudquaquam dubitantes, quin opti-
me Christiana res gerenda sit, nisi forte no-
stra delicta diuinos conatus impedian. P.
Alphonsum Castrū cum sociis duob' isthuc
ad te mitto, qui partim ad Lusitanos concio-
nes habeant, partim Neophytes, seruos ac
pueros Catechismo erudiant, idque eadem
ratione quam ego seruaui, cum isthic elabo-
rarem:

rarem: nimirum ut Symboli capita , ac præcepta Decalogi explanent, confitendi, communicandique præscribant modum . Tu velim de tuis rationibus , de animorum frumento, istic per socios percepto de spe Euangelij, & istic locis, & in Macazaria, reliquisque insulis adiacentibus disseminandi crebrius ad me perscribas , vt rebus omnibus cognitis, statuam de unoquoque vestrum. Nam si magnam atque vberem messem esse intellexero, plures istuc operas submittam, sin minus pro vsu , quem istius regionis habeo, quemque Iaponiae habiturus sum , vos accersam aliò , vbi utilius , à vobis opera poni posse videatur. Proinde expeditos ac paratos vos esse volo si in clamoro , vt accuratis, Deo bene iuuante, qui nos in sua patria iungat & colligat. Nam in hac quidem vita ita distracti, dissipati que peregrinamur, vt ec quando inter nos reuifuri simus, equidem nesciam. Vale. XII. Kalendas Iulias. Malacæ.

P. Simoni Roderico in Lusitaniam.

Epist. III.

QUÆSO te atq; obsecro per viscera IESU CHRISTI , vt huc submittas quamplurimos è Societate: omnes autem siue cōcionatores, siue alios spectata virtute viros. Peccandi enim illecebræ hisce locis se offerunt